



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 186. An Principi sit licitum vendere officia temporalia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42561

mor. l. 6. dub. 9. & de Just. d. 28. à n. 134. putat Cajū post 4: annos teneri Sempronio refundere 120: , quia hic contractus ab initio fuit justus. Docet autem rectè *S. Th.* Opusc. 73. c. 9 si Cajus habeat redditum annum 6. aureorum , & quia jam indiget pecuniâ, Titius eum emat ad annos 3. pro 16. aureis, esse usuram, quia plus acquiritur vel saltem certudinaliter speratur, quam detur, estque virtuale mutuuum.

§. 7. Si Cajus prætendens sibi deberi 1000. à 990 Titio, hanc actionem litigiosam vendat Sempronio pro 400. , & addat se gratis donare reliquos 600. *Justinianus*, L. *Ab Anastasio*, 23. Cod. *Mandati*, reprobatur venditionem , ac statuit Titium satisfacere solvendo Sempronio solos 400. , quos Cajo dedit pro cessione illa , eò quòd per tales mercaturas litium , dentur occasiones vexandi proximum Hanc tamen Constitutionem exolevisse putant aliqui apud *Haun.* t. 10. n. 107. , & saltem videntur supponere omnes cum *Haun.* n. 109. esse pœnalem adeoque in conscientia non obligare , nisi post sententiam Judicis. V. *Stryck.* f. 4. c. 2. §. 9. & seqq.

Q. 186. *An Principi sit licitum vendere officia 991* temporalia. *Bz. Adr: & Salon:* dicunt de jure naturæ esse illicitum, 1. quia Principes non sunt domini, sed tantum administratores Reip. , & officiorum. 2. Quia sic sæpe excluduntur aptiores & digniores, ergo non providetur bono communi, ad quod tamen de jure naturæ tenetur Princeps. 3. Quia talibus emptoribus datur occasio iterum emungendi subditos ut pretium recuperetur. *Az.* p. 3. l. 8. de vendit. c. 7. q. 2. ostendit hoc prohiberi jure positivo tamen addit passim non observari, etiã in Romana Curia. & licet *Jus.* t. 4. d. 2. n. 406.

Pp 3 b

dicat

dicat ex gravibus causis posse id excusari, raro tamen prævalebunt gravissimis incommodis, quæ enumerat *Az. q. 3.* sed *Haun. t. 10. n. 110.* dicit non esse operæ pretium plura dicere circa hoc, quia quidquid dixeris, consuetudo prævalebit; curandum tamen est, inquit, ut serventur, quæ jure naturæ servanda sunt, nempe ut venditiones moderato pretio fiant, & talibus personis, quæ creduntur officio bene functuræ.

992 *Q. 187. Quænam pacta adjici soleant venditioni. R. sequentia: 1. Commissorium, ut si intra certum tempus non solvatur pretium, res censeatur non empta, sicque emptor dicitur cadere in commissum. 2. Adjectionis in diem, ut si intra certum tempus aliquis alius plus obtulerit, res censeatur non empta, sed vendi possit alteri. 3. Retrovendendi; sed necessarium est, in primis ut absit contractus *Mohatra*, de quo dictum à n. 902.; deinde ut servetur æqualitas, ut pluribus *Mol. d. 375. Less. l. 2. c. 21. d. 14. Lugo d. 26. à n. 183. Spor. t. 6. c. 5. n. 101.**

993 *Q. 188. Quomodo rescindi possit venditio. R. 1. Mutuo consensu; nec emptor tunc tenetur restituere fructus, quia stante contractu cesserunt illi tanquam domino. 2. Si adfuerit pactum commissorium vel additionis in diem, ut à n. 992. dictum; & tum fructus compensari debent venditori. 3. Per actionem redhibitoriam, vel quanti minoris, de qua n. 715. 4. Propter læsionem ultra dimidium, uti habet communior contra *Less. relat. n. 624.* Duratque hæc actio usque ad 30. annos. Quod si inculpabiliter facta sit talis læsio, potest lædens manere in contractu, supplendo defectum, nec tenetur compensare fructus interea perceptos: hoc autem jus rescindendi quandoque competit læso etiam contra tertium, cui res
alie-*